

1499 neque strenue nec amanter eo bello gesserant, missos fecit. Guidum Ubaldum autem, qui valetudine curata se ad Patres salutandos invensendosque contulerat, præfectura equitum & stipendio confirmato, in reipublicæ fidem recepit.

Aloisius Galliæ rex Ludovico bellum illaturus, ex eorum numero quos consulere singulis de rebus consueverat, legatos Venetos facit. Ipse legationem ad Senatum mittit. Ad bellum equites ejus generis mille octingentos, quorum singuli more Gallico equites sex secum ducerent, militum numerum decem millium habere instituit. Triultium suis exercitibus in Italia præficit. Veneti ubi fœdus cum rege ictum ab legatis intellexerunt, sacris in æde Marcia solenni ritu factis, foro apparatissimo verba fœderis in vulgus pronuntiari pro suggestu voluerunt. Ea dum pronunciantur, ventus coortus vexillum reipublicæ templi turriculis implicuit, vexilli parte abscissa. quod quidem postea ex eventu rerum portentis loco civitas habuit. Neque multo post alios regi legatos Marcum Georgium, Benedictum Trivisanum Senatus creavit, prioribusque legatis, cum hi ad regem pervenisissent, domum est reditionis facultas data. Rex æstate media suis in Italiam copiis præmissis Lugdunum venit. Senatus exercitu & ipse comparato Melchionem Trivisanum, Marcum Antonium Maurocenum legatos exercitui sublegit. alteroque ex duobus legatis, quos ad urbem rex miserat, una cum illis ad exercitum reipublicæ profecturo, ut rebus omnibus interesset, equus pro ejus dignitate, ac tentorium, & ferrea corporis tegumenta cum auri libris duabus a Senatu dono data. Inter hæc Federicus rex Neapolis per suum legatum Patribus significavit, velle se equites quingentos Ludovici auxilio Mediolanum mittere. Patres, neque eum illa copia Ludovico profuturum, cui longe firmioribus præsidiis ad salutem opus esset, & se ea re inferri sibi magnam ab eo injuriam existimatuos, regi rescribere legatum jusserunt, nullos plane homines majora in Ludovicum beneficia contulif-